

Johannes Crocius Johann Geuger

**Disputatio Theologica Quarta, Apostolicae, Quam Evangelica Per Europam
Ecclesia profitetur, doctrinae assertionem & sex posteriorum Martini Becani
antithesium analysin complectens, De cuius thesibus**

Marpurgi Cattorum: Hutwelckerus, 1620

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746348118>

Druck Freier  Zugang





95

52^b.6.



Ja 1092 (95.)

Tomo hoc XLVII. continentur:

1. Dithemi Icarus Academicus Norimb 1643.
2. Acclamatione preemptrice Academiae Genesie cum eo
descenderet idem Ditherrus.
3. Orationes inauouales Academiae Ludunensis Patavoru.
4. Polyadori. Walai. Anno. 1620.
5. Thysii.
6. Hommi.
7. Sinapij.
8. Ravi Pancognia Orientalibz linguis Trajecti ditta. 1643.
9. Hier. Welleri Consilium de studio Theol. Rostoch 1617.
10. Simile D. Joh. Quistorpii Rostochi. 1643.
11. Iusti Jone oratio de eodem argumento. ibid. 1644.
12. Dan. Heimfii. Homilia in Natalem Domini. Lugd. 1613.
13. —. In Christi Passionem. ibid. eod.
14. Quistorpij de Vinbu Liberi Arbitrii coll. loc III, 4. s. 1645.
15. Samhauen Domini gloria crucifixus. 1633.
16. —. De Melchisedeco e Gen. XII. 1634.
17. Jacobus Martini de Causa Peccati. 1639.
18. —. Analysis Capitis Vad. Romanor. eodem.
19. Dorschauc De tribu testibz in Terra. 1 Jo. V, 8. 1635.
20. —. De Peccato originali. eod.
21. —. Synopsis Theol. Zachariana.
22. —. ad Hebr. XIII, 8. 1643.
23. —. ad Act. IV, 27. 28. 1646.

49. P. Petri Roeshii Soc. Jes. Disputatio Paradisiaca
50. Corradi Vossii Oratio Apologetica in
pleno Confessu Ordinum Hollandiae et Westphaliae
Gita. Hartmanni. 1612.
51. Ebelius de Generatione et Corruptione Hom.
Graevae. 1646.
52. — De Anima Hum. Simplicitate. 1644.
53. — Deinde IV. Conclusionum metaphysicarum. 1646.

1. 8.
2. 3.
3. 11.
4. 24.
5. 29.
6. 2.
7. 2.
8. 38.
9. 24.
10. 39.
11. 4.
12. 4.
13. 4.
14. 4.
15. 4.
16. 4.
17. 4.
18. 4.
19. 4.
20. 4.
21. 4.
22. 4.
23. 4.
24. 4.
25. 4.
26. 4.
27. 4.
28. 4.
29. 4.
30. 4.
31. 4.
32. 4.
33. 4.
34. 4.
35. 4.
36. 4.
37. 4.
38. 4.
39. 4.
40. 4.
41. 4.
42. 4.
43. 4.
44. 4.
45. 4.
46. 4.
47. 4.
48. 4.
49. 4.
50. 4.

a - a	A - D
16	A - C
35	A - C
30	A - C
A - C	A - C
20	65
40	A - C
A - B	48
-	A - C
A - B	16
35	A - C
B - 36	A - C
A - 00	A - C
A - C	A - C
A - 00	A - C
A - B	A - B
A - D	A - K
A - 00	51
40	24
128	24
72	20
A - 00	
A - D	
14	
16	
32	
A - G B	
A - C	
A - 00	
A - C	
A - C	
B - G 1	
A - D	

DISPUTATIO THEOLOGICA
QUARTA,
APOSTOLICÆ, QUAM E-
VANGELICA PER EUROPAM ECCLE-
sia profitetur, doctrinæ assertionem & sex postero-
rum Martini Becani antithesim analysin
complectens,

De cuius thesibus,
Os & sapientiam Deo largiente,
Præside

IOHANNE CROCIO, S S.
THEOLOGICÆ DOCTORE, ET E-
iusdem in Academia Marpurgensi Pro-
fessore primario,

Publicè in Theologorum Auditorio proposita,

Respondente

M. IOHANNE GEUGERO SPANGEN-
bergenfi Hasso.

Marpurgi Cattorum,
Ex Officina Rodolphi Hutvvelckeri,
Anno M D CXX.

31.
28a

3

11.

24

29.

31

31.

39.

41

42.

50

43.

44.

44.

48.

47

45.



STRENUIS, PRUDENTIA POLITICA OR-
natissimis, gravissimis, integerrimisque

viris,

Dn. GEORGIO Murhardi/ { Quæst.
Dn. WERNERO Thauron/ { Tractus Spang. { Prator.

Patria Consulibus & Senatoribus.

Dn. CUNRADO Weckbachen/ {
Dn. HERMANNO Murhardi/ { civibus ibid. præclarissimis.

Fautoribus, Patronis, & amicis æternùm
colendis & suspiciendis

Hanc disputationem Theologicam in debitæ
observantiæ & gratitudinis *τεκμήριον*.

D.D. Respondens
Vester Johannes Geuger.



THESIS. I.

Quatuor antitheses, quibus Martinus Becanus ecclesiam Evangelicam ab apostolicæ doctrinæ communione conatur disjungere, nuper vidimus, sed & multiplicem hominis fraudem & criminationes deteximus. jam ad sex reliquas recto pede progredimur. Quas ut ritè examinemus & veritati patrocinemur, os & sapientiam Jehova è cœlo servis suis largiatur.

ANTITHESIS QUINTA.

Apostoli hortantur nos ad bona opera. 2. Pet. 1. 20. Lutherus & Calvinus damnant bona opera. Becanus loc citat. pag. 144. 145.

II.

Resp. I. Imò bonorum operum studium non solùm tanquam laudabile sed & multis de causis necessarium universa nostra ecclesia suis commendat. Vid. confessiones omnes. Augustan. art. 20. Helvet. priorem cap. 14. & 16. ubi clara sunt verba: *Quamvis ergò doceamus cum apostolo hominem gratis justificari per fidem, & non per ulla opera bona, non ideò tamen vilipendimus aut condemnamus opera bona.* Gallic. art. 22. Anglic. art. 12. Scotie. art. 14. Belgic. art. 24. Argentinensem cap. 5. Wirtembergicam an. 1552. Tridentino concilio propositam cap. de bonis operibus. Saxoniam cap. 6. 7. 8. Bohemicam art. 7. 2. Nec Becanus, nec quisquam alius sive ex Luthero, sive ex Calvino
A 2 ullum

ullum locum potest producere, ubi sive ille, sive iste bona opera damnaverit.

III.

Imò, inquit Becanus, asserunt omnia opera justorum esse peccata, sordes, inquinamenta. Lutherus in assertione articuli 31. Calvinus lib. 2. inst. c. 12. §. 4. c. 14. §. 9. & 11. Resp. Ne sic quidem calumniæ turpitudine tegitur. Uterq; enim Dei servus implicitam animi sui notionem perspicuè explicavit. Ante omnia 1. distinguunt inter severum Dei judicium & paternam in Christo acceptationem. Deinde bona opera dupliciter considerantur, nempe vel in sua propriâ dignitate, vel in Christo. 2. Mens utriusq; est & constans sententia, omnia etiam regeneratorum opera in hac vita esse imperfecta, eò quòd caro concupiscat adversus spiritum Galat. 5. fructus autem ipsâ arbore melior esse nequeat ex Matth. 7. 3. Si in severum Dei judicium & strictum examen, remotâ misericordiâ, opera in se spectata producâtur, sordibus esse coinquinata, imò inquinamenta ultrò profitentur, ex Jesai. cap. 64. 6. *Sumus ut immundus omnes nos & sicut panniculus abiectissimus omnes justitiâ nostrâ, diffluimusq; velut folium omnes nos, & iniquitates nostræ ut ventus auferunt nos.* ex Psalm 143. 2. *Ne intres Domine in judicium cum servo tuo.* vide confes. aug. loc. de fide & bonis operib. 4. Si verò opera bona in Christo, qui pro nobis intercedit, spectentur, Deo esse grata & accepta, & nostræ ecclesiæ in confessionibus profitentur, & earum ministri publicè docent.

IV.

Hanc utriusq; mentem esse, ex locis citatis non minùs clarè quàm Becani impudentia & crimen falsi apparet. Lutherus enim citat Gregorium & Augustinum, quorum ille de severo conscientie examine com. super cap. 9. Jobi agit: *Sanctus, inquit, vir, quia omne meritum virtutis nostræ vitium esse conspiciat, si ab interno arbitrio distinctè judicetur, ideò rectè subjungit;*
si vo-

si voluerit contendere cum eo, non poterit ei unum respondere pro mille. Hic de Dei iudicio remotâ misericordiâ loquitur libr. 9 conf. ca. 13. *Va, inquit, hominum vita quantumcunq̄, laudabili, si remotâ misericordiâ discutias eam.* Ecce Becani impudentiam! Crimini dat Luthero, quòd cum Jesaia sentit, & quidem post patres, quos, ut maximè velit, hoc nomine accusare non audet.

V.

Sed & vide falsi crimen in verbis Calvini commissum. Verba lib. 3. inst. c. 12. §. 4. sunt ejusmodi: *Qui autem seriò tanquam sub Dei conspectu, de vera iustitia regula quarent, illi certò comperient, omnium hominum opera SISUA DIGNITATE CENSEANTUR, nihil nisi inquinamenta esse & sordes: & quæ iustitia vulgò habetur, eam apud Deum meram esse iniquitatem; quæ integritas censetur, pollutionem; quæ gloria ducitur, ignominiam.* An non hîc conscientiam in Becano meritò requiras? Totum enim illud de propriâ operum dignitate fraudulenter omitit. Eâdem fraude alterum locum truncat. Calvinum enim introducit his verbis loquentem. Habemus, ne unum à sanctis exire opus, quod non mereatur justam opprobrii mercedem; cùm ista sit integra ipsius sententia: Habemus, ne unum à sanctis exire opus, quod SI IN SE CENSEATUR, non mereatur justam opprobrii mercedem. Ecce candorem tuum Becane! Pari fide eadem verba citat Smiglecus lib. 2. de notis ministrorum cap. 22. pag. 355. Tertius Calvini locus prophetiâ luce radiat. Agit enim de nobis in nostra dignitate consideratis, id quod partim ex citatis, partim ex præcedentibus patet. Hæc enim verba præcedunt §. 10. *Quare id semper constat, quod principio diximus, si ipsi ex nostra dignitate estimamur, quicquid meditemur aut moliamur, nos tamen cum omnibus nostris conatibus & studijs morte & interitû dignos esse.* Caterùm bona regnitorum opera Deo in Christo placere tum Lutherus, tum

Calvinus lubenter agnoscit. Vide Calvinum li 3. instit. c. 14. §. 13. c. 15. §. 3. lib. 2. c. 7. §. 4. confess. auguſt. loc. de bonis operibus. Sax. cap. 9. Scoticanam art. 15.

ANTITHESIS SEXTA.

*Apostoli docent fidem sine operibus mortuam esse. Jacob. 2. 20.
Lutherus & Calvinus docent, solam fidem sine operibus
sufficere ad salutem.*

VI.

Resp. I. Fidem sine operibus mortuam esse, cum apostolis Lutherus & Calvinus eorumq; discipuli profitentur. Vide Lutherum in annot. in cap. 1. Jonæ edit. anno 26. *Quare, inquit, nobis aequè nihil atq; Nine vitis necessarium est, quàm vera fides, quæ bonum operetur & homines justificet &c.* Calvinum comm. in Jacob. cap. 2. lib. 3. instit. cap. 16. §. 1. & omnes nostros. 2. Hominem nullis operibus coram Deo justificari, cõstans quidem est eorum sententia, sed ex prophetis & apostolis desumpta, quos deserere nec volumus, nec debemus. Psalm. 32. 1. 2. & 130. 3. & 143. 2. Roman. 3. 20. 27. 28. cap. 4. 2. 6. Galat. 2. 21. cap. 3. 11. Ephes. 2. 8. 9. Tit. 3. 5. 2. Timoth. 1. 9. 3. Hominem solâ fide Christi justitiam apprehendere, adeo quæ justificari secundum scripturam credunt, Habac. 2. 4. Rom. 2. 27. 28. 4. 2. Philip. 3. 9. Gal. 2. 16.

VII.

4. Hominem bonis operibus coram hominibus justificari, id est, justum declarari, ex Jacob. 2. constans nostrorum est sententia. 5. Nec fidem nec ulla bona opera esse causam meritoriam salutis, disertè quidem profitentur: verùm non aliam ob causam, quàm ut se gerant fideles apostolorum discipulos, quorum ista est doctrina, Luc. 17. 10. Rom. 6. 23. & 8. 18. Ephes. 2. 8. 9. Tit. 3. 5. 6. 6. Bona opera in justificatis esse necessaria tanquàm veræ fidei fructus, ex apostolis scholæ nostræ sonant. 2. Tim. 2. 19. Rom. 8. 4. 2. Cor. 5. 15. jam eat Becanus & clamat, doctrinam ecclesiamque nostram non esse apostolicam!

Quic-

II X.

Quicquid de ecclesia fiat, saltem Calvinum & Lutherum apostolorum *ἀποστόλων* constituendos putat. De Calvino tria quæro. Unum est: cur ipsius verba Becanus truncet? Integra enim sic habent: *Ceterum fidelium peccata venialia esse, non quia mortem merentur, sed quia Dei misericordiâ* (totum hoc Becanus omisit) *nulla est condemnatio in x̄s, qui sunt in Christo Jesu: quia non imputantur: quia veniâ delentur.* Alterum est, cui sive prophetæ, sive apostolo Calvinus his verbis contradicat? Tertium: quâ fiat quod scripturam à Calvino citatam suppressere & negligere Becanus maluerit, quàm veritati cedere? probat enim suam sententiam Calvinus ex Rom. 6. 23. *Stipendium peccati mors est.* & Ezech. 18. 10. *Anima, quæ peccavit, morietur.*

IX.

Id verò quod Jesuita ex Calvini verbis concludit, ambiguum est. *Ex hoc, inquit, sequitur, fideles ex eo praxis, quia fideles sunt, posse salvari, et si peccent pag. 146.* Vel enim hunc habet sensum; Renatos fide apprehendere justitiam & salutem, et si quædam peccatorum sordes, quas tamen seriò deplorant & seriò oderunt, ad mortem usq; ipsis adhæreant: vel istum habet sensum: quosdam fide salvari, et si in impœnitentiâ usq; ad mortē perseverent. Prior est apostolicus & à Calvino defenditur Joh. 5. 24. & 6. 40. Marc. 16. 16. posterior est blasphemus, nec unquam Calvino in mentem venit.

X.

Lutheri verba sunt aliquantò duriora, quæ ex captivitate babilon. Becanus repetit, ut speciosè coram vulgo exagitari possint. Verùm hyperbolicæ locutiones non sunt contra constantem auctoris sententiam morosè detorquendæ. Ostendere voluit divitias hominis Christo per fidem insiti, idq; hoc argumento, quod omnia peccata fide absorbeantur. Nunquam verò putavit fidem à bonis operibus separatam, & finali impœ-

impoenitentia contaminatam homini quicquam conferre.
Noverat enim à Paulo requiri fidem *ἡ ἀγάπη ἐνεργημένην* Gal. 5. 6

ANTITHESIS SEPTIMA:

Apostoli docent, mandata Dei ab homine iusto, facile servari posse Phil. 4. 13. 1. Joh. 5. 3. Calvinus contrarium docet lib. 2. instit. c. 7. §. 5. & in antidoto Concil. Trid. sess. 6. c. 12. hanc antithesin urget Becanus l. c. pag. 146. Smiglecius lib. 2. de notis ministrorum c. 22.

XI.

Resp. Distinctè hanc rem Ecclesiæ nostræ exponunt.

I. In statu innocentiae integratius legis obedientia secundum omnes partes & gradus non minus homini, quam angelis erat possibilis & facilis. Erat enim homo ad Dei imaginem conditus. Gen. 1. 26.

II. In statu peccati ante regenerationem impletio legis impossibilis est homini etiam inchoatione, Genes. 6. 5. & 8. 21. Jerem. 13. 23. Ephes. 2. 1. Rom. 14. 23.

XII.

III. In statu gratiae homini regenerito est possibilis, 1. quoad imputationem, beneficio justificationis, in quo remedium paratum habet, quo defectus suos suppleat, dum se. ad veniam confugit, & venia sublevatus, sicubi deficit, animum non despondet, 1. Joh. 2. 1. 2. 2. inchoatione obedientiae internae & externae. Hoc sensu Johannes praecepta gravia esse negat, nempe quatenus coelesti virtute praediti superamus carnis concupiscentias. 3. observatione disciplinae externae.

XIII.

IV. Interim in hac vita impletio legis secundum partes & gradus perfecta omnibus etiam sanctissimis est impossibilis, id quod scriptura disertè confirmat, experientia comprobat, & ratio ex scriptura petita statuminat. Scriptura; *Non est homo iustus super terram, qui non peccet, i. reg. 8. 46. Non iustificabitur*

3
7.
4
29.
38.
39.
42.
43.
44.
44.
45.
46.

*er in conspectu tuo omnis vivens, Psalm. 143. 2. Caro concupiscit
adversus Spiritum, & Spiritus adversus carnem Gal. 5. 17. Si dixe-
rimus nos peccatum non habere nos ipsos fallimus, & veritas in
nobis non est, 1. Johan. 1. 8. Experientia testatur, neminem existi-
tisse, qui corpore mortis circumdatus ex toto corde DEUM a-
maverit, qui concupiscentia non laboraverit, Rom. 7. 24. Futu-
rum aliquem in hac vita tam perfectum, dissuadet ratio: Nam
amor sequitur cognitionem: proinde ubi est imperfecta co-
gnitio, ibi imperfectus amor sit necessum est. Quis verò Pau-
li vocem ignorat, 1. Corint. 13. 9. Ex parte cognoscimus, & ex
parte prophetamus. Omnes sancti peccatorum remissionem à
Deo petunt. Psalm. 32. 6 quod eos facere non est opus, qui per-
fectè legem implent. Hoccine est, Becane, apostolicam doctri-
nam non sequi?*

XIV.

Calvinus impossibilitatem non legis naturæ sed carnis no-
stræ vitio adscribit; Ita enim sectione à Becano citatâ conclu-
dit: *Sit ergò extra controversiam, impossibile esse in hac carne
legis implementum, si natura nostræ impotentiam intuemur. Vi-
de eundem in comment. super 1. Johan. 5. 3. & in antid. concii.
Trident. sess. 6. cap. 12. Quæ si falsa sunt, cujusmodi esse puta-
bimus oracula Spiritus S. supra exposita? cujusmodi Petri sen-
tentiam act. 15. 10. Nunc ergò quid tentamus Deum imposito
jugo cervici discipulorum, quod neg. Patres nostri, neg. nos porta-
re potuimus? ubi non de solâ carnis infirmitate, cum abest au-
xilium Spiritus, agit; Nam Prophetas & Patriarchas, & pios re-
ges, utcunq; Dei Spiritu adjuvarentur, ferendo legis jugo pa-
res fuisse negat, nec ambigè pronunciat, impossibilem fuisse
legis observationem; quæ verba Becanus non sine fraude trū-
cavit, ut supprimat manifestum Petri & Calvinii consensum,*

ANTITHESIS OCTAVA:

Apostoli docent peccata tolli per baptismum act. 2. 38. Con-

B

trarium

*trarium docet Calvinus libr. 4. instit. cap. 15. §. 10. in antid.
Concil. Trident. sess. 5.*

XV.

Resp. 1. In peccatis duo considerantur; reatus & pravitas seu pugnancia cum lege: priori opponitur peccatorum remissio: posteriori regeneratio. Utrumque verò beneficium in baptismo nobis offertur, teste totâ scripturâ & agnoscente nostrâ Ecclesiâ. In baptismo peccata quoad reatum penitus tolli, apostoli unanimiter testantur. Ideò Petrus actor. 2. 38. remissionem peccatorum, quâ non pravitas, sed reatus tollitur, egurt. Et Paulus Rom. 8. 1. statuit, nullam esse condemnationem in iis, qui sunt in Christo Jesu. Contrarium Calvinus nusquam docet: perspicuè autem confessionem edit in antid. loc. citat. *Nos inquit, totum peccati reatum verè tolli in baptismo asserimus: ita ut qua manent peccati reliquie, non imputentur.*

XVI.

2. Pravitatem & naturæ corruptionem per baptismum statim & plenè uno die tolli, cum ecclesiis nostris Calvinus negat, cuius verba huc integra referimus, ut novo exemplo Jesuiticam fidem lectori commendemus. *Quo, inquit, res clariùs pateat, in memoriam revocent lectores, duplicem esse baptismi gratiam: nam & peccatorum remissio illic & regeneratio nobis offertur. Remissionem plenam fieri docemus: Regenerationem inchoari duntaxat, suosq; totâ vitâ facere progressus. Proinde manet verè peccatum in nobis, neq; per baptismum STATIM UNO DIE exstinguitur, sed quia deletur reatus, imputatione nullum. Ita Calvinus. Quid verò Becanus? Quod de uno statim die Calvinus dicit, planè erasit. Sed edisserat, quæso, nobis, cui apostolo Calvinus hac in re contradicat?*

XVII.

3. Interim concupiscentiam, quæ post baptismum in renatis ad mortem usque superest, verè peccatum esse, testis nobis

bis est omni exceptione major Paulus, qui *peccatum inhabitans* appellat Roman. 7. 17. 20. *malum adjacens* v. 21. & Galat. 5. *carnem adversus spiritum concupiscere* scribit. cui addimus Johannem, qui omnem *avopiar* vocat *avmagtaw*, 1. Johan. 3. 4. Concupiscentiam verò legi repugnare rursus docet Paulus, Rom. 7. 23. Jam ergò Becanus Paulo & Johanni in os contradicat, aut doctrinam nostram suspectam reddere desinat. Vide conf. Wirtebergicam loco de baptisim. Anglicanam art. 9. Gallic. ar. 11. Lutherum in assert. art. à Leone X. damnatorum art. 2. tom. 2. lat. Jenef. f. 296-297.

ANTITHESIS NONA.

Apostoli in symbolo docent, Christum descendisse ad inferos. Quod confirmat Petrus act. 2. ex illo Davidis vaticinio, Non derelinques animam meam in inferno. Calvinista negant descensum Christi ad inferos.

XIX.

Resp. 1. Imò omnes nostræ ecclesiæ descensum Christi ad inferos in apostolico symbolo retinent & docent. Confes. Basilienfis anno 1532. scripta art. 4. Anglic. posterior ar. 3. Scotie ar. 10. Becanus, si potest nomet ecclesiam, quæ ex symbolo hunc articulum tollat.

2. Ignorare verò Jesuita non potest in pluribus conciliis & à multis patribus ommissum esse. Nempe in symbolo concilii 1. Niceni. 2. Sardicensis. 3. primi Constantinopolitani, 4. Toletani primi, sexti & undecimi. 5. Ephesini. 6. Mediolanensis. 7. Romani sub Agathone papa. 8. Francofurtensis ad Mœnum. 9. Wormatiensis. sed & à multis antiquissimis ecclesiæ Scriptoribus & Pontificibus, Clemente in prædicationis apostolicæ expositione, Irenæo l. 1. adversus hæreses c. 2. Tertulliano libro de velandis virginibus. Justino Martyre in apolog. pro Christianis. Augustino lib. de fide & symbolo. Cyrillo epistol. ad Nestorium. Ruffino in explic. symb. Leone I. papa in epist.

ad Flavianum Ep. Constant. Gregorio Magno in symbolo. Damaso in symb. Quos num hoc nomine jure Iesuita damnet, ipse viderit.

XIX.

3. In expositione doctores non consentiunt, sive vetustiores, sive recentiores consulamus. Res enim non satis expedita. Satis ergo est sensum tenere fidei analogum. Quidam de sepultura interpretantur; alii de statu triduo post mortem, alii de inferni doloribus, alii de virtute mortis apud inferos exsertâ; alii de toto exinanitionis statu, comprimis autem de doloribus animæ, inferorum, ira Dei, morte æternâ, summâq; ignominia. Nullus ex omnibus istis est impius, nullus hæreticus, quod nobis hoc loco sufficit.

XX.

4. Christum verò secundum animam in locum damnatorum subterraneum localiter descendisse, quæ est Becani & multorum Pontificiorum sententia, (nec enim inter omnes est consensus) pro articulo fidei non suscipimus. Priusquam verò secessionis ab apostolorum doctrina factæ alios damnet, & bruto anathematis fulmine feriat, suum sensum esse apostolicum firmis argumentis adstruat. Nusquam sanè ullus apostolus istum sensum ecclesiæ dicat; nec Petrus actor. 2. confirmat. Infernū enim isto quidem loco de subterraneo damnatorum carcere nos intelligere, nec dicentis scopus, nec orationis series, nec loquendi forma cogit.

ANTITHESIS DECIMA.

Apostoli præter verbum DEI scriptum, admittunt etiam traditiones non scriptas. 2. Th: 2. 14. Lutherus & Calvinus non admittunt. Solâ scriptura contentos esse nos jubent.
p. 147. 148.

XXI.

Resp. 1. Hem impietatem! Solis scripturis contentum esse. Gloriamur de hac impietatis maculâ: tantum abest, ut velimus diluere. Iterū igitur dicimus: solis scripturis contenti sumus.

sumus. Tum quia omnia quæ pertinent sive ad fidem sive ad
vitã, inde sufficienter disci possunt, ut traditiones nō scriptæ mi-
nimè requirantur. psal. 19. 8. Luc. 1. 3. 4. c. 16. 29. c. 24. 25. 27. c. 20.
31. actor. 1. 1. c. 17. 2. 3. Rō. 15. 4. 2. Pet. 1. 19. Tum quia omnes pii re-
ges, sacerdotes, prophetae, apostoli, imò Christus ipse ad eas in
religionis negotio unicè respexerunt. 1. Paralip. 6. 20. 2. Paralip.
17. 9. 29. 1. 2. reg. 22. Luc. 19. 45. 46. Mat. 22. act. 17. 11. 26. 22. c. 28. 23.
2. Timoth. 3. 16. 17. Tum quia Deus nihil iis addi, demive vo-
luit, deut. 4. 2. apoc. 22. 18. 19. Tum quia graviter errârunt, quot-
quot à scripturarum codice deflexerunt, 1. Reg. 12. 18. Matt. 22.
29. Tum denique, quia Deus ad eas nos unicè alligavit, Jo-
han. 5. 39. Jesa 8: deut. 17. 11. 18. Jos. 1. 7. Malach. 2. 7. Hæ nobis sunt
causæ, ut cum Cyrillo dicamus ex lib. de fide ad reginas, *Neces-
sarium nobis est sequi divinas literas, & in nullâ re discedere ab
earum præscripto.* XXII.

2. Dixit, nondiffiteor, Lutherus: *Quicquid ultra verbum
DEI producitur, hoc nostri sit arbitrii, damnare, probare; Verùm
secutus Theophilum Alexandrinum, qui in 2. paschali scribit:
Diabolici Spiritus est, extra scripturarum sacrarũ auctoritatem
aliquid divinum putare: & Hieronymũ com. in cap. 1. Haggai;
sed & alia, que absque auctoritate & testimonio scriptura-
rum, quasi traditione apostolicâ sponte reperiunt atque confin-
gunt, percutit gladius DEI.* Num hos doctrinam apostolicam
deservisse putabimus? Minimè. Sit ergò rei summa: Nullas
sive divinas, sive apostolicas, (ita enim ipsi distribuunt) sive ec-
clesiasticas traditiones extra scripturas agnoscimus, quæ
sint ad fidem & mores necessariae. Nec ullas, quæ sint certæ &
indubitatae, produci posse credimus. Imò ne unam qui-
dem præter verbum scriptum recipere nobis licet: Novimus
enim quid Paulus Galatis suis scripserit. Quid verò illud? *Sed
etiamsi nos, aut angelus è cælo Evangelizet vobis præter id quod
vobis Evangelizavimus, anathema esto. Capite primo v. 8.*

Ubi

Ubi de verbo scripto agi hinc manifestum est, quia apostolus nihil extra scripturas docuit, actor. 26. 22. quare etiam Augustinus de scripturis legalibus & evangelicis lib. 3. contra literas Petiliani cap. 6. interpretatur.

X XIII.

Becanus apostolum nobis opponit, 2. Thessal. 2. 14. dicentem: *Itaq, fratres statē, & tenete traditiones quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram*: Opponit autem frustra! probet Becanus 1. Traditiones à sacris literis diversas intelligi, ad eò ut quæ Paulus vivâ voce tradidit, nec ipse, nec alii scripserint. 2. Traditiones, quas Romana ecclesia jactat, esse eas 3. quas Paulus Thessalonicensibus commendat, Omnes cum scripturis prophetis & apostolicis consentire, hoc enim nisi probet, quid negotium nobis faceat, qui scimus Spiritum S. sibi contrarium esse non posse?

X XIV.

Jam nemini obscurum esse existimamus, quàm ineptè Becanus concludat, ecclesiam reformatam non esse apostolicam ratione doctrinæ. Nullum enim doctrinæ caput proferre potuit, in quo secessionem nos à sanctissimis apostolis fecisse constaret. Stemus igitur in doctrinâ apostolicâ, quam ecclesia nostra proficetur: Ineamus vitæ rationem, quam nobis ostendit. Ita nos Jesus unicum ecclesiæ caput servet.

F I N I S.





Ad Ornatissimum
DN. M. JOHANNEM GEUGERUM
Theologiæ Candidatum,


RODOLPHUS GOELENIUS SENIOR PHI-
losophici Collegij nunc Decanus.


Eloquar an sileam? non tantum dicta licenter;
Arrodi carpiq, etiam rectissima possunt,
Lingua maligna nigro si sit sale perlita Theonis,
Et mens aqua absit, quali decet esse Professos
Christum (qui Christi est, sequitur vestigia Christi)
Eloquar an sileam? sunt Psyllorum omnia plena,
Ulcerata quinetiam, bene sanâ parte relictâ,
Insoliant muscæ. Sed & Harpyæ omnia fedant
Per se pura, virum mensis ingesta bonorum.
Fallor? an hoc tua nos collatio docta Magister
Edocet adversus magnos suscepta Sophistas?
Tam bene nil dictum, quin tetra calumnia possit
Depravare, & ei præfigere fecile Theta.




















5
IV.

ca genus non est ars nec prudentia.

ut prolixi simus, nulla flagitat nece sitas: unico igr
ur: quicunq; habitus philosophicus non est practi-
ca vitia & virtutes, circa contingentia, circa ea quæ
adunt, illius quoq; genus esse nequit. Atqui Meta-
phis habitus Erg. genus ejus prudentia esse nequit.
t prudentiæ propria indoles, uti minore[m] ipsius
a, quæ est mera theoretica seu speculativa. De arte
dam movere ausi sunt, quibus opponimus hanc ar-
ti non competit definitio artis, illius genus ars esse
ysicæ non competit definitio Artis. Erg. Major
tio generis competit speciei generi subjectæ, quia
eò est corpus animatum sensu præditum. Minor
one artis. Ars, inqt. Philosophus 6. Ethic. est habi-
flectivus: hoc a. de Metaphysica nemo sanæ men-
theor. transe. disp. 1. th. 28. p. 10. quia habitus pra-
physica, quomodo ars erit? Cum omnis ars sit habi-
es habitus practici: Forlan species alicui compe-
genus illius speciei? quod ego non crediderim,
omo sit & non animal. Hac ille. Artem contem-
m Mart. part Metaph. l. 1. q. 2. f. 1. & Scharf. theor.
p. 20. proclamamus σιδυρόζυλον. Nec juvat eum
io, quam ex Luciano suo accurato illo definitor
quæ quam perfecta & accurata sit, videatur Exc.
b. 1. art. 3. f. 3. p. 10. Scheibl. Met. l. 1. c. 1. art. 2. n.
p. 7. l. 1. quest. 1. & alii.

V.

ca genus non est intelligentia.

usio non aded sit apud Dd. Metaph. controver-
a brevis ero: sicuti a. de scientia strictè ita dicta
lided non possit esse genus Metaphysicæ, quia
siones: ita nunc de intellectu dicimus, quod hic
æ constituere nequeat, quia præcisè Principia
mentum. Qui habitus in nudis acquiescit Prin-
a. esse nequit. Ast intelligentia talis est. Erg. Ma-
A 3 jor